



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Sibyllina V. 19. Martij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

hic & verberibus sævit. Hæc tu PANCHARI, amoris divini in te principia crede. In theatrum abriperis: Spectatores Superos habebis. Exul Nicomediam abduceris. Gaude vel sic aulâ exiisse. Securi feriunt; sanguini innatas. O factum bene! hanc demum purpuram altera, ad quam tendis, Aula probat. Ex *Meneis*.

*Sapientia est in pœnitundine peccatorum, in contemptu presentium commodorum, in desiderio futurorum premiorum. Invenisti sapientiam, si prioris vite peccata defleas, si seculi desideria parvipendas, si aternam beatitudinem toto desiderio concupisfeas.*

S. SIBYLLINA V. 19. Martij.

**N**ATA SIBYLLINA Papiæ in Biscossâ nobili familia D. Dominici tertium Ordinem nobilitavit. A teneris scelus ingens credidit esse, quem sibi horarum Canonicarum vicem numerum precum præfixerat, vel semel omittere. Loco solo cum se inclusisset, non nisi semel ad Virginem velatam, semel epulo Eucharistico reficienda sponso obviam processit. Gaudiis tunc inundabat, cum sanguini, quem ipsa flagris septem annis quotidie fundebat. Pudorem unicâ veste & contra æstum, & frigora tegebat. Nudo indormiebat ligno, suavissimo castitati thalamo. Annum XII. egressa, cum oculos corporis amisisset, animi invenit, & D. Dominicum manifestâ in luce conspicuum habuit, tantis gaudiis delibuta, ut jam nollet non fuisse cæca. Et verò quis unquam plura vel Argus vidit, quando longè pòst futura vidit, prædixit; conscios lethalis noxæ animos inspexit; è ligno, quo Christus pependit, reliquias, cordis tactu veras esse pervidit, eoque oculis jam penetravit, ut

G

quo

quo Christus sub panis orbe, quo non lateret, perspiceret. Sed illa oculis carenti jucundissima spectacula fuere: videre non semel festo Pentecostes die sacrum Pnuma supra caput suum descendere. Denique cum precabunda beatissimum illum pusionem IESSU, illum illum solem potuit intueri, an non oculos habuisse jam probos putemus? Enimvero si oculis tunc non vidit, at certe charius aliquid oculis vidit. *Ex tom. 14. Bzovii.*

*Præoccupatum secularibus desideriis animum delectatio sancta declinat, nec misceri poterunt vera vanis, aeterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis; ut pariter sapias qua sursum sunt, & qua super terram. S. Bern. hom. 5. de Ascens.*

S. IOACHIMVS PATER B. M. V.  
20. Martij.

IOACHIMVS è regiâ Davidis stirpe affem suum trifarum divisit. Partem templo sacram, alteram egenis & peregrinis communem, ultimam sibi & familiæ voluit reliquam; testamento, quod vel cælum probavit. Nam cum in ipsam senectam usque sine hærede vixisset (probro id ætatis ac loci tanto, ut cum sacrificio suo etiam repulsam ab arâ tulerit) precibus suis apud Numen hoc questus, candidissimum nuntium certæ prolis accepit. Et verò spem ipse etiam rei eventus longè maximè superavit. Nata enim MARIA, & cum MARIA, renatus orbis est. Et pensavit profectò partus tam serus, quidquid morarum traxerat. Potuit ignosci tempori tam magna parturienti: potuit IOACHIMVS hæc unâ filiâ beatus ridere populos alios filiorum. Proinde officium patris facturus, cælo filiam, cui debebat, vix trimulâ dicat, & tumplo jam  
tum